



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117832

§.35. S. Gregorii initia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

Sæculum VI. runt omnia. Monachi Romam confuge-
A. C. 577. runt, Librum Regulæ cum quibusdam
 aliis codicibus, mensuram panis & vini,
 & quæcunque alia de supellectili servare
 potuerunt, secum portantes. Illo tem-
 pore præerat illis Abbas Bonetus seu Bo-
 nitus a S. Benedicto quartus. Primus
 fuerat Constantinus, secundus Simpli-
 cius, & tertius Vitalis. Pelagius Papa
 V. Chr. Cass. Monachis Romam confugientibus licen-
 Greg. II. tiam fecit ædificandi Monasterium prope
 Dial. præf. Ædes Lateranenses, cujus primus Abbas
 Valentinianus fuit.

§. XXXV.

S. Gregorii Initia.

Joan. Diac. Pelagius Papa, ut Longobardorum vis
 vit. Sanct. reprimeretur, missis ad Imperatorem
 Greg. l. 1. Legatis auxilium poposcit. Ad tantum
 c. 26. negotium adhibuit Gregorium illo tem-
 pore Ecclesiæ Romanæ Diaconum postea
 Papam, Virum Sæculi sui Principem. Is
 Romæ natus erat ex genere nobili. Gor-
 dianus Pater ejus ex ordine Senatorio ma-
 ximas opes possidebat, Mater ipsius Sil-
 via inter Sanctas tertia die Nov. colitur.
 Mart. Rom. Inter Majores numerabat Papam Felicem
 3. Nov. IV. cujus Neptes Tarilla & Æmiliana
 Joan. c. 1. etiam Sanctarum numero adscriptæ sunt.
 Mart. R. 24. Gregorius Romæ Prætor fuit, videlicet
 Dec. 5. supremus amplissimæ Urbis in Causis ci-
 Jan. vilibus
 Joan. Diac. c. 4.

vilibus Judex. Jam tunc totum se Deo addicere decreverat, credebatque se etiam holosericis indutum vestibus, & gemmis fulgentem, illo nempe habitu, qui dignitatem ejus decebat, Cœlo servire posse; at dum plurimis negotiis implicatur, brevi cognovit, animum suum non solum in speciem Mundo inhærere, sed veris vinculis captum esse. Diu tamen distulit toto corde converti; tandem cum Mors Parentis liberam facultatem de Bonis suis decernendi dedisset, sex Monasteria in Sicilia fundavit, & Fundos, unde sufficientes redditus acciperent, donavit. Septimum quoque Monasterium construxit in propriis ædibus in Honorem S. Andreae dedicatis. Cœnobium istud hodieque existit, & a Camaldulensibus incolitur.

Sæculum VI.
A. C. 577.

*Præf. mor. in
Job. Joan.
c. 5.
Greg. Tur.
Lib. X. c. 1.*

In hoc Monasterio Gregorius vitam transigere statuit, abjectoque Senatorio amictu & pretiosa supellectile, quam in pauperes distribuit, habitum Monasticum induit. Principio sub Disciplina Hilarionis Abbatis, & deinde Maximiani fuit. Continuis jejuniis & Sacrorum librorum lectione ipsius stomachus ita debilitatus, ut sequente tempore, nisi frequenter aliquid cibi caperet, sæpe omnifensu destitueretur. Id vero maxime dolebat, quod etiam Sabbato Sancto jejunare non posset, qua die, inquit Joannes

Joan. c. 7.

nes

Sæculum VI. nes Diaconus, omnis ætas & sexus at
 A.C. 577. que etiam parvuli jejunant.

In Monasterio S. Andreae degebat Monachus nomine Eleutherius olim numero-
 sæ Congregationis prope Spoletum Præ-
 positus, qui mortuum resuscitasse fereba-
 tur. Hunc socium assumens Gregorius in
 oratorium se contulit, & inter largas la-
 crymas Deum precatus est, ut sibi saltem
 illo die Sancto jejunare posse daretur. Ec-
 ce! elapso modico intervallo ita confirma-
 tum sensit stomachum, ut nec sumendi
 cibi necessitas nec ægritudinis memoria
 remaneret. Quamvis autem infirma es-
 set valetudine, continuo tamen vel ora-
 bat, vel legebat, vel scribebat, vel di-
 ctabat. Nullo alio alebatur nisi legumi-
 nibus crudis, quæ ipsi Mater sua Silvia
 præparabat. Illa tunc in locum, qui
 Cella nova dicebatur, prope S. Pauli por-
 tam se receperat, ubi postea Oratorium
 ab ejus nomine nuncupatum, & cele-
 bre S. Sabæ Monasterium extructum.
 Mittere solebat filio dicta legumina dilu-
 ta in patera argentea, quam aliqua die
 Gregorius, cum nihil amplius sub ma-
 nibus esset, pauperi dedit. Jam tunc
 Abbatis munere in Monasterio suo S. An-
 dreæ fungebatur; quamvis enim magis
 obedire cuperet, unanimis tamen Fra-
 trum consensus ad capeffendum Regimen
 compulit.

Joan. c. 3.

c. 6.

Cum

Cum quadam die Gregorius in Foro Romano ambularet, vidit ibi venalia mancipiorum corpora candore & forma præstantissima. Quærenti, ex qua Regione hos homines advexisset, mercator respondit: *ex Insula Britannia, cujus Incolæ omnes æque ac isti formosi sunt.* Rursus Gregorius interrogare, an essent Christiani. Dixit Mercator: *non sunt, sed adhuc dum Gentiles.* Tum Gregorius altum suspirium ducens: *heu damnum! quod tam pulchræ facies sub potestate Dæmonis premantur.* Præterea ex Mercatore comperit, esse illos ex Gente Anglorum, & Provincia, quæ tunc *Deiri*, nunc Ducatus Eboracensis dicitur. Illico S. Gregorius Benedictum Papam adiit, instantissime rogans, ut Verbi Divini Præcones in Britanniam mitteret, & sciens, neminem difficilem profectionem in se suscepturum, se ipsum mittendum offerebat, si Papa consentiret. Quamvis populus & Clerici Romani repugnarent, consensus Papa, precatus, ut Deus magnis cœptis benediceret. At Romani absentiam viri non ferentes consilio inuito, in tres cohortes divisi vias tres, qua Papæ ad S. Petrum ituro transeundum erat, obsederunt, cumque procederet, clamant: *S. Petrum offendisti, urbem Romam perdidisti, dum Gregorium abire permisisti.* Papa ad hos clamans: *H* mores

Sæculum VI.
A.C. 577.

c. 21.

Hist. Eccles. Tom. VIII.

Sæculum VI. mores expavescens protinus cursores misit, qui revocarent Gregorium. Is strenue confecto trium dierum itinere socios ut festinarent, urgebat prævidens, quod erat futurum; at a cursoribus Papæ occupatus, iterum dolens & invitus Monasterii sui curam & Regimen resumeri cogitur. Benedictus Papa videns, quantum in via virtutis proficeret, ex illi quiete evocatum ordinavit, & unum ex septem Ecclesiæ Romanæ Diaconis esse iussit. Gregorius non minore humilitate quam diligentia Diaconi munus subivit. Pelagius Papa eundem haud diu postea Apocrisarium seu Nuntium Constantinopolim misit.

c. 25.

§. XXXVI.

Justini Obitus. Tiberius Imperator

Evagr. V.
c. 11. 13.
Theoph. p.
208. 210.

Chr. Pasch.
p. 376.
Joan. Bicl.
an. 8. *Just.*
Suid. Tiber.
C. P.

Alia interim in Aula Cæsarea successerat rerum facies. Justinus phreneticus correptus Tiberium uxoris suæ Sophiæ Imperatricis consilium secutus anno 574 Regni sui octavo Indictione octava septima die Sept. Cæsarem pronunciavit, & cognomentum Constantini addidit. Tiberius natus in Thracia statura medio crem excedente & optimo vultu præcipue ob clementiam, animum ab avaritia alienum & munificentiam laudatur. Quamprimum suo arbitrio regnare licuit unius anni censum omnibus populis remisit, &